CVLICIS ENCOMIVM,

A

NICOLAO ROVARIO

conſcriptum, atque


ILLVS.mo ET REV.mo DOMINO,

D. PHILIPPO SALVIATO

BITVRGIAE EPISCOPO DIGNISSIMO,

Dicatum.








FLORENTIÆ APVD IVNTAS, 1621.

SVPERIORVM PERMISSV.



ILLVSTRISSIMO, ET REVER.^MO DOMINO, D. PHILIPPO SALVIATO BITVRGIÆ EPISCOPO MERITIS.^MO, & Mæcenati ſuo colendiſſimo,

NICOLAVS ROVARIVS εὐχαίρειν.



IAM diu eſt, cum animo feci, quod nunc re præſto. Volui te Illuſtriſſime & Reuerendiſſime Domine Antiſtes adire aliquo literario munere: & nonne me inuitet virtus ſingularis, atq; multiplex eruditio? addo & beneuolentiam, quam toties liberaliſſimè oſtendiſti, vt etiam ſi Pyrrho ſim, de ea tamen dubitare mihi religio ſit. Cum igitur in animo haberem, publici iuris ea facere, quæ de Culice, Muſis ſtudijſq; operando, conſcri-

pferam; cumq; de Mæcenate cogitarem, quem mihi contra inuidorum morsus & dentes Theoninos patronum constituerem: Tu imprimis Antistes Illustrissime occurristi, cuius patrocinio hoc quicquid est scriptionis, atq; adeo me ipsum humillime committerem: vt Illustrissimus meus D. Propater Saluiatus, hanc sui profilij declamationem contra inuidorum morsus saluet & tueatur.

Leuiora hæc esse fateor, quam vt amplissimum tuum nomen præferre debeāt; interim tamen memineris, non semper Ioui Hecatombas mactari; sed nonnunquam etiam viliora sacrificia offerri. Quem potui fructum, parum, haud dubie, maturum dedi, maiora vbi per ætatem licuerit, daturus. Ad summam, te Vir Illustrissime, & Reuerendissime perpetim valere, ac quotidie pro voto omnium bonorum magis magisq; inclarescere exopto, quem ego vnice colo atq; amo, vt alterum mihi facias, enixe rogo atq; obsecro.


FRAN.



FRANCISCI ROVARII

Epigramma

IN NICOLAVM ROVARIVM.



FElix parue CVLEX, felix ò terq; quaterq;
Cuius erit semper fama decusq; vigens.
Fama decusq; vigens; quoniam NICOLAVS ad astra
Virtutes tollit te celebrando tuas.
Illi quid referes? æterno murmure laudes
Innumeras eius nocte dieq; canes.
Audio quod dicis, laus hæc sua vergit in ipsum,
Ille suas omnes fons sibi fundit aquas.
Es NICOLAE puer, nec non sum paruulus ipse,
Si mihi virtutes sunt, tibi culmen adest.

LAVRENTII SERRATII IN EVNDEM

Epigramma.

Sollicitus viuo curis agitatus acerbis,
Nescio vtri potius sit tribuendus honor?
Vtri dandus honor, maneat vel gloria maior,
Vtrius viuax laus super astra volet.
An Natura magis rerum laudanda benigna,
Quæ Culici paruo munera tanta dedit.
An magis ornande es nobis Nicolae Rouari,
Qui laude eximia paruula magna facis?
Macte animi pergas, pergas ac perfice capta,
Sic tibi Pierides nomina clara dabunt.
Nomina clara dabunt homines per sæcula cuncta,
Mutabitq; Culex murmura rauca celer.
Murmura rauca Culex mutabit, voceq; clara
Nomen, vt æternum, promet vbiq; tuum.


In eundem

RAPHAEL NARDIVS.

Es virtute senex; his dum puerilibus annis,
Tam parua egregijs ac summis laudibus ornas.
Laudas laudanda, at vere magis es celebrandus:
Efficis eximium te, paruula ad æthera tollens;
Æstimo nam magnum, qui ex paruis maxima reddit.



CVLICIS ENCOMIVM.





VM satis magnam partem hesternæ noctis traduxissem insomnis; cumq; à nonnullis culicibus (vt nunc anni tempus est) infestarer, excandui primum, atque omnes diras illis inprecatus sum: Deinde cum illud animo occurreret; Deum & Naturam nihil frustra agere, cæpi aliquanto accuratius hoc insectorum genus, eiusq; naturam contemplari; cui dum attentius immoror, ecce in alia omnia eo; nec diris deuouendos culices; sed præ alijs omnibus animalibus maxime laude exornandos statuo. Vix illuxerat, corripio me è lecto, totus laudandi hoc animal studio inflammatus, arripio auidus calamum, cum præter opinionem scrupulus iniectus est, vilius & abiectius hoc insectum nonnullis videri posse, quam vt à quoquam laudari debeat.

Sed vt demum illius Maroniani Culicis venit in mentem; quodque multi doctissimorum iuxta & grauissimorum Virorum, in simili scribendi genere versati sunt; quorum hic laudarit caluitiem, alter asinum, alius muscam, nonnulli etiam res leuiores; facile hoc scrupulo sum liberatus. Itaque

si ad

ſi ad exiguum temporis ſpatium, attentam & beneuolam aurium veſtrarum vſuram, Præſtantiſſimi ac nobiliſſimi Domini Auditores mihi conceſſeritis, efficiam profecto, vt culex inter tot æquales vnus excellere, & merito ipſi palma præ cæteris danda videatur.

Si glorioſum atque adeo immortali laude dignum, non gregarium aliquem tibi aduerſarium habere; ſed virum magnanimum, fortem, inuictum, qui omnia in ſe poſita eſſe ducit, & caſus humanos virtute inferiores putat; cuius dextra ſi cadas, non modo opprobrio atque ignominia vacat; verum etiam claritatem, & nominis ſplendorem afferre tibi poteſt longe maximum. Quæ laus tribuenda culici, dum hoſtem ſibi tam acrem, impigrum, manu promptum ac præſtantem delegit. Non enim pugnat cum fucis vt apes, ceu noſter Latinus Homerus 4. Georg. aſſerit;

Ignauum fucos pecus à præſepibus arcent.

Neq; veſperi muſcas inſequitur, vt veſpę, quæ & inde nomen inuenerunt, ſi Grammaticis credimus: non cum aquila, Iouis alite, atque auium Rege prælium init, vt ſcarabæi; non ſtellionem imitatur, qui tanta cum ſcorpionibus contentione decertat, vt ijs viſus, haud ſcio maioremne torporem, an vero pauorem illis ipſis afferat: ſed animal prouidum, ſagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis, & conſilij, quem hominem vocamus, ſibi inimicum deſtinauit & propoſuit. Hunc pungit, lacerat, ſtimulis fodit, cruentat, ac tantum non aridum atque exſanguem relinquit. Mithridatem potentiſſimum illum Ponti Regem, hiſtorici tradunt, victum à Cn. Pompeio, non tantum ſeipſum & filios, ſed totum etiam Regnum victori ſua ſponte obtuliſſe: præfatus, neminem alium neque Romanum, neque vllius gentis virum futurum fuiſſe, cuius ſe arbitrio commiſſurus foret, quam Cn. Pompeium. Proinde omnem ſibi aduerſam vel ſecundam, cuius ille auctor eſſet, fortunam tolerabilem futuram. Non enim eſſe turpe ab eo vinci, quem vincere eſſet nefas; neq; inhoneſte aliquem ei ſupponi, cui virtus & fortuna nullum præponi voluiſſet.

Siccine

Siccine ais ô Mithridates? Tu tandem inuentus, qui homo hominem; Rex duarum & viginti prouinciarum, ciuem; veteranus & scientissimus rei militaris, non ita pridem tyrocinij annos egressum vincere extimescis? quanto te generosior culex, qui paruus, magnum; insectum, hominem; nec ferro clypeoue munitus, armatũ; debilis à corporis viribus, robustum; ratione & iudicio (vt vulgo putant) carens, dominam omnium & reginam, nimirum rationem possidentem hominem aggredi haud veretur, atque adeo ipsum arena cedere, & herbam porrigere iuxta adagium cogens, solus inuulnerabilis, quem admodum illud tritum habet, existit vt Cæneus. Nec est, quod quis causam huius victoriæ admiretur. Vt enim iniecto in oculos sago, leo sine vllo negotio capitur, alioquin inexpugnabilis: ita facillimum est, etiam potentissimum domare, modo cognitum sit illius ingenium, Vnde & γλαὺξ ἀεὶ ἵπταται αὐτῷ.

Fortassis hic aliquis mihi occinat, è latebris euolare culicem, & ex insidijs nos adoriri; nec aperto Marte nobiscum committere prælium; sed potius furtim & cuniculis homines oppugnare. Age sis videamus. An tibi videtur ex occulto inuadere & ferire hostem, qui clarigat, bellumque quasi per feciales indicit, denunciat se inimicum fore? & propterea antequam signa conferat cum hostibus, classicum ipse canit, circa aures dormientis strepitum, fremitum, clamorem, ac pene tonitruum excitans, ne se ex insidijs petitum aut oppressum, iure quis conqueri possit. Generosi est animi & plane Regij hic noster culex, Alexandrum illum Magnum solertissime æmulans. Hic namq; Parmenioni & alijs suadentibus, vt insidias tenderet Dario ad Arbelas, Latrunculorum, inquit, & furum ista est solertia, quam mihi proponitis: quippe illorum votum vnicum est fallere. Meæ vero gloriæ nunquam fraudem, aut fallaciam obstare patiar, palam atque in oculis omnium impetum facere in Darium certum est. Malo me fortunæ pæniteat, quam victoriæ pudeat. Hic mihi ante oculos pone intrepidum atq; imperterritum animum nostri culicis, qui Alexandro adeo non est inferior,

ferior, vt etiam ſit multis partibus ſuperior. Hic ab exercitu ſuperbiſſimo delectu, & duriſſima collectione conquiſito inſtructus erat: quid tale in culice? hic quot duces, tot Reges, atq; adeo imperio dignos ſub ſignis habebat: an eiuſmodi quid reperire licet in culice? Minime gentium. Solus, ſolus inquam, quamuis minutus, & fere paruitatis contemnendæ in hominem irruit. Irruit vero? imo victor triumphans auolat, vbi telum illud, vt fodiendo acuminatum, ita pariter ſorbendo fiſtuloſum ad viuam vſque cutem infixit, & ſanguine humano deſiderium naturæ expleuit atque ſatiauit.

Quotuſquiſq; vero noſtrum cum impari, & longe ſe maiori congredi audet, atq; inde victoriam ſibi polliceri. At enim quæ comparatio eſt culicis ad hominem? equidem pro meo captu longe minor, quam muſcæ ad elephantum. Interim tamen vide, quot vulnera infligat hic adeo exilis & ſpernendus hoſtis, inſpice partes corporis, quas lodici ſubtractas, aeri expoſueris, & hoſtem præ infinita multitudine ictuum metuendum magis, quam quenquam mortalium metuentem cernere licebit: nec ſolum μάχεσθαι, ſed etiam duabus ſyllabis additis ſecundũ illud Cleomenis ἀναμάχεσθαι videre eſt: quippe factus iam melior, ſicubi inglorius & non victor ſibi diſceſſiſſe videtur. O Generoſe culex! ò nunquam ſatis antehac laudibus celebrate, aut temporis progreſſu celebrande! qui in te tantam vim atq; poteſtatem habes, vt vniuerſo mortalium generi terrorem incutias. Vix me contineo, quin aquilam de maieſtatis throno deturbandam, & leonem imperio exuendum arbitrans, tibi vni ſceptrum, & inſignia illa regia adiudicem.

Et vero inquiet quis, quæ hæc tanta tui culicis gloria, dum noctu in labore feſſos, incautos, & ſomno oppreſſos inuolat atque aculeum contra eos exerit, qui præ laſſitudine arctius ſomno grauati, neutiquam eum arcere atq; abigere poſſunt. Atq; ego hoc non modo animi excelſi & fortiſſimi, ſed etiam pietatis (ſi fas eſt eo nomine appellare) non ficulneum argumentum eſſe arbitror. Si enim vt inquit ſub Neſtoris perſo-

na

na Somnium Agamemnoni apud Homer. Iliad. β.

οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα.

Quanto magis hoc nobis necessarium erit, qui aduersariũ non minus potentem, quam nusquam non in procinctu stantem habemus, qui omnia temporum momenta in nostram perniciem diligenter atq; exacte obseruat & aucupatur. Epaminondas quempiam è vigilibus somno correptum cum offendisset, gladio hominem transfixit. Cum nonnulli hac de causa verbo grauiori eum appellassent, talem, inquit, eum reliqui, qualem inueni. Innuens hoc ipso Imperator bellicosissimus, inter hominem sopitum & mortuum nihil aut admodum parum interesse. Quæ cum culici nostro non sint incognita, proh Deum atq; hominum fidem! quid non molitur, quid non machinatur! vt nobis veternum illum tam noxium, & tanto cum periculo coniunctum excutiat. Nunc horrendum strepitum edit, iuxta aures circumuolitans, nunc aculeum minatur se impacturũ, atque nisi caues & à somno abstines, id est mortis fratrem quam ocyssime fugis, iam telum cuti infixum hærebit; telum inquam, quod perfodiendo tergori, quanto natura spiculauit ingenio!

Neq; abs re fuerit, & illud Medicorum axioma hic retulisse, quod nimirum sanguis purus extrahitur oriente Sole, cholericus meridie, melancholicus sub occasum, phlegmaticus noctu, cuius potissimam partem hic noster peritissimus phlebotomiæ magister in nostræ sanitatis beneficium ebibit atq; exhaurit. I nunc, atque etiamnum hoc insectum calumnijs insectari perge, quo quid vtilius humano generi, quid fortius, quid præstabilius reperiri possit, haud scio.

Verum ne abuti vestra patientia Nobilissimi Domini Auditores, aut κάνθαρα ἐλέφαντι παραβάλλειν, atq; culicẽ elephanti conferre videar, finem dicendi faciam, si hæc paucula addidero; non me tam culicem illum nostrum magnanimum laudare; (quippe cum mihi nec animi & ingenij celeres quidam sint motus, & ad excogitandum acuti, & ad explicandum ornandumq; vberes, & ad memoriam firmi atq; diuturni) quam alijs ingeniosioribus, atq; omni doctrina & virtute

orna-

ornatiſſimis, illius laudandi non ſpicilegium; ſed vberrimã meſſem relinquere voluiſſe, & cum ſim adoleſcens merito debuiſſe. Interim in magnis & difficilioribus ingenij vires periclitari voluiſſe, ne mihi fraudi ſit, etiam atq; etiam vos rogatos volo: ea tamen conditione, vt à me ſtet illud Sphæri; qui cum diceret opinionem non cadere in virum ſapientem (ò quam mihi timeo adoleſcenti, vt tota aberrauerim via) Rex Ptolomæus cupiens hoc paradoxon re ipſa confutare, curauit mala Punica, veris ſimillima, ſed ex cera confecta apponi in conuiuio. Ad quæ cum Sphærus deceptus porrigeret manus; Rex exclamauit, illum falſa ſpecie deceptum fuiſſe: Cui Sphærus; Non ſic inquit aſſenſus ſum, vt crederem eſſe mala Punica; ſed probabile putaueram eſſe mala Punica. Idem ſi mihi accidit in culice, forſan mirandum?

ὡς οὐδὲν ἡ μάθησις, ἂν μὴ νοῦς παρῇ.

F I N I S.

Mc